

aliunde habeat unde vivere possit. Sic tenent Ursaya, tom. V, part. 1, disceptat. 4, per tot.; card. de Luca, in *Tract. de donationibus*, disc. 11; Lamperez, in *Veter. Ecclesie disciplina*, num. 366, fol. 209; P. Ludovic. Nogueira, *Quaest. singul.*, disput. 1, tit. *De sacrament.*, q. 26, n. 3, fol. 35; Joannes Morinus, in *Commentar. ad constit. 44 Innoc. XII*, incip. *Speculatores*; Monacell., tom. I, tit. 3, formul. 13, num. 2, et in *Appendic. adnotat. ad dictam constitutionem Innocent. XII*, n. 1, et alii. Quamvis enim in d. constitutione *Speculatores*, § *Licet vero*, requiratur quod « beneficium sit talis redditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat; » tamen illa verba « Detractis oneribus, » non sunt referenda ad onera missarum, sed ad alia onera etiam post emanatam dictam Innocentii XII constit. ut declaravit sac. Cong. conc. in *Signina ordinationis* 14 April. 1699, et in *Neapolitana seu Scalen.* 18 Febr. 1701, apud Monacell., t. 1, tit. 3, formul. 12, num. 2, et in *Appendic. adnotat. ad d. constitutionem Innoc. XII*, incip. *Speculatores*, num. 11, et in *Firmana Cappellania* 14 Januar. 1708, apud Ursayam, tom. V, part. 1, disceptat. 4, num. 49, qui eod. tom. V, in additionibus, § 4, refert quod proposita causa in sac. congr. Conc., die 17 Julii 1723, sub dubio: « An a beneficio, seu capellania, ad cujus titulum quis intendit ad sacros ordines promoveri, detrahenda sint onera missarum eidem adjecta, quando beneficiatus non tenetur eas per se ipsum celebrare. Vel potius oneribus missarum non detractis, sive illae celebrandae sint per se ipsum, sive possint celebrari per alium, faciendus sit calculus omnium fructuum pro constituenda summa a synodali constitutione vel regionis more requisita pro sacris ordinibus suscipiendis? » Responsum fuit: « Esse relinquenda arbitrio et conscientiae ordinariorum. »

(107. Onera, ad quae referri debent verba illa « detractis oneribus, » et detrahi debent a fructibus beneficii, sunt contributio pro fabrica ecclesiae et refectio domus beneficiaris, census, sive tributa super possessionibus beneficii imposita, pensiones a beneficiato solvendae pro paramentis, hostiis, cereis, pro visitatione, cathedralico, seminario, salario ministrorum ecclesiae et hujusmodi. Sic card. de Luca, *De beneficiis*, disc. 90, n. 80; Monacell., tom. I, in *Appendice, loc. cit.*; Ursaya, cit. disceptat. 4, n. 40, et alii.

(108. Non autem, ut dictum fuit, sunt onera missarum, sive per se ipsum, sive per alium a beneficiato celebrandarum, nisi numerus missarum esset ita excessivus, quod superaret missam quotidianam, nec possent omnes missae per capellanum, seu beneficiatum intra annum celebrari, vel essent beneficio adjectae multae missae in cantu majori elemosyna per alios ab ipso beneficiato quotannis celebrari faciendae,

quia in tali casu, detractis his stipendiis, fructus beneficii taxam synodalem vel regionis morem non exaequant, adeoque tale beneficium non esset sufficiens titulus ut beneficiatus promoveri posset.

(109. Alias autem non, quia licet obligationes missarum beneficio adnexae vocentur quoque onera, quia tamen stipendium earum percipitur, seu percipi potest ab eodem beneficiato, cedit in congruam sustentationem ipsius, et sic non debent detrahi a supputatione, cum per ipsas ordinatus diminutionem non patiatur in redditibus, sicuti illam non patitur ordinatus ad titulum capellaniae perpetuae cum obligatione per se, vel per alium quotidie celebrandi, ut recte advertunt Lamperez, *loc. cit.*, Ursaya *loc. cit.*, num. 20, et alii. Tum quia haec videmus practicari in dies in Ecclesiis receptitii, in quibus sacerdotes ordinantur ad titulum aggregationis, vel ascriptionis dictis ecclesiis, cum obligatione celebrandi tot determinatas missas, vel ad ratam reddituum, dummodo isti sufficiant ad congruam ordinatorum sustentationem, et tamen nullum aliud obtinent emolumentum, nisi ratione missarum, quae celebrari debent, juxta praecisa verba card. de Luca, *De donationibus*, disc. 11, num. 8, loquentis ad praecisum effectum nostri casus; et in *Adnotat. ad concil. Trid.*, disc. 14, num. 39, expresse dicit: « Assumunt sacerdotium, quod sufficientem provisionem ad victum praebere solet cum elemosyna celebrationis missae diurnae; » quem sequitur Ursaya, d. disceptat. 3, a num. 57 ad 60, pluribus ad id allegatis et etiam individuali oraculo Sixti V, ibi adducto.

(110. Nec officit quod ordinandus possit ratione absentiae, irregularitatis, seu censurae incursum, morbi incurabilis, vel delicti, se impotentem reddere ad celebrandas per se ipsum missas beneficio adnexas et cum in tali casu missarum celebrationi per alium teneretur satisfacere, non amplius remaneret rata pro congrua sustentatione et dispositio concilii Trid., sess. XXI, cap. 2, *De reform.*, et d. constitutionis Innocentii XII, non observaretur. Non officit, inquam, quia etiam beneficium, seu sacrum patrimonium constitutum super domibus, praediis, censibus, locis montium et hujusmodi, licet ab omni onere exemptum, subjacet multis periculis, ac majoribus infortuniis sterilitatis, siccitatis, incursionibus hostilibus, cessationis, seu diminutionis locorum montium et hujusmodi, et sic in totum, vel in parte reddi potest infructiferum et inutile, tamen ex communi omnium curiarum ecclesiasticarum praxi, haec pericula et infortunia non attenduntur, sed solum exquiruntur et attenditur rigorosa cognitio faciendae a peritis circa beneficii, seu sacri patrimonii redditus faciendae tempore constitutionis ipsorum. Leges enim adaptantur ad ea quae ut plurimum contingunt, non autem ad illa quae raro accidunt et ab accidentalibus casibus dependent, ad text. in *Authent. Ut sine prohibitione matres*, ibi: « Quod raro

fit, etc., non observant legislatores, sed quod plerumque et respiciunt et medentur; » et in l. *Ex iis*, ff. *De legibus*, ibi: « Ex iis, quae forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur; » et in l. *Nam ad ea*, ff. *eod.*, ibi: « Ad ea potius debet aptari jus, quae et frequenter, et facile, quam quae raro eveniunt. » Unde in nostro casu, cum ordinandus regulariter per se ipsum missas beneficio adnexas celebrare possit, et sic percipere integros fructus beneficii, verificatur, quod habeat validum et sufficientem titulum, ut ordinari possit, juxta decreta sacrae congregationis Concilii, allegata supra, n. 70, ut recte docet Monacell. cit. tom. II, tit. 3, form. 13, num. 3; et cum aliis Ursaya, cit. disceptat. 4, per tot., ubi n. 34, concludit expresse: « Onus missarum nunquam detrahendum esse ab illo beneficio, seu capellania, ad cujus titulum quis ordinari cupit, sive missae praecise celebrandae sint per beneficiatum, sive celebrari possint a quocunque alio sacerdote, sed esse faciendum cumulum omnium fructuum beneficii, seu capellaniae, ad constituendam summam a synodali constitutione, et in illius defectum a solito regionis, pro sacro patrimonio requisitum. »

(111. Tum quia potest quis promoveri ad sacros ordines ad titulum beneficii residentialis, cujus fructus una cum distributionibus quotidianis sufficiunt ad congruam et honestam beneficiati sustentationem, quamvis multis de causis possit contingere quod beneficiatus nequeat ipsas distributiones quotidianas lucrari, ut expresse declaravit sac. cong. Conc. in *Veronen.*, registrata in lib. xv *Decret.*, fol. 433, ibi: « Posse clericum, caeteris requisitis necessariis concurrentibus, ad sacros ordines promoveri ad titulum capellaniae, cujus fructus una cum distributionibus quotidianis ad victum honeste sufficiunt. » Sic apud Ursayam, cit. tom. V, part. 1, disceptat. 5, n. 30.

(112. Ad complementum hujus articuli advertendum est quod circa preces, vel missas quae in ordinatione injunguntur ab episcopo, secundum Pontificale Romanum, ipse episcopus sic dicit: « Singuli ad primam tonsuram, vel ad quatuor minores ordines promoti dicite semel septem psalmos poenitentiales cum litanis, versiculis et orationibus. Ad subdiaconatum vel diaconatum, nocturnum talis diei. Ad presbyteratum vero ordinati post primam vestram missam tres alias missas, videlicet unam de Spiritu sancto, aliam de B. Maria semper virgine, tertiam de fidelibus defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate. » Quod illi devote suscipiunt, et respondent, sic facturos. Unde Suarez, Azorius, Lessius, Layman, et alii cum Aversa, qu. 2, sect. 13, volunt, ista persolvenda esse sub mortali; quam sententiam Stephanus, tract. 5, disp. 4, num. 72, dicit esse probabiliorum; quia episcopus potest, et quando aliud non declarat, censeri debet graviter imperare: cum haec materia sit gravis. Econtra Diana, Sotus, Valentia, Castropal., Pellizar., Lohner,

Gobat in *Experient.*, tract. 3, n. 713 et tract. 8, num. 771, defendunt esse tantum obligationem decentiae, non autem sub peccato, praesertim mortali; quia licet sub mortali possint id episcopi imperare, tamen id hactenus non declaraverunt; unde videtur tenenda benignior sententia, quod non peccetur mortaliter, sed solum venialiter, si id negligatur. La Croix, lib. vi, part. II, num. 1319, argum. cap. *Statutum 22*, De election., in 6, cap. *In panis 49*, De regulis juris, in 6; l. *Cum quidam 19*, ff. *De liberis et posthumis*; l. *Factum 155*, § 2, ff. *De regulis juris*.

(113. Nocturnum autem, quod praescribitur subdiaconis et diaconis, non necessario est illud ipsius diei quo fit ordinatio, sed cujuscunque quem episcopus designat. Gobat, *loc. cit.*, tract. 8, n. 771; La Croix, *loc. cit.*, num. 2320, et alii. Si vero episcopus nullum determinatum diem designat, probabiliter debet recitari nocturnum talis diei ordinationis, uti colligitur ex verbis Romani Pontificalis ab episcopo post ordinationem prolatis, nempe, *ad subdiaconatum vel diaconatum, Nocturnum talis diei*, ut patet num. antecedenti. Sic Gobat, *loc. cit.*, num. 772, et alii. Missae tamen presbyteris injunctae non debent necessario celebrari primis diebus post ordinationem impeditis post ipsam missam; sed primis diebus non impeditis, id est quibus licebunt post primam missam missae votivae et de requiem. Ita Sennyei *De missa*, num. 152; La Croix, *loc. cit.*, num. 2310, et alii. Et has tres missas possunt neopresbyteri offerre pro quibuscunque voluerint stipendium accipiendo. Et sufficit quod pro episcopo ordinante orent, ut patet ex verbis solitis ab episcopis post ordinationem proferri, relatis numero antecedenti, ibi: « Et omnipotentem Deum etiam pro me orate. »

(114. Item possunt neomystae primam missam cum episcopo ordinante lectam, seu celebratam, offerre pro altero, non aliter ac si soli illam legerent; reipsa enim consecrant et substantialiter ponunt sacrificium. At vero videtur, quod pro tali missa non possunt stipendium accipere, quia petens et offerens elemosynam pro una missa censetur velle aliam cum omnibus ordinariis caeremoniis, actionibus solitis ad altare peragendam; tum quia dubium est an consecrent; cum dubium sit quod forte verba consecrationis non absolvant cum episcopo, sed post, jam ab ipso peracta consecratione.

(115. Hinc monendi sunt neomystae, quod omni diligentia curent verba consecrationis incipere, et absolvere una cum episcopo, non ante, nec post; sicque consultum est, ut consimilem forment intentionem: « Si verba consecrationis inceperis et absolvero cum episcopo, volo consecrare, alias non; » quia si aliquis neopresbyter absolute volens consecrare verba consecrationis absolvet ante episcopum, episcopus nihil consecraret, cum jam esset tota materia consecrata: quod videtur inconveniens. Et

contra, si dicta verba alsolveret post episcopum, ipse neomystra nihil posset consecrare, quia nihil superesset consecrabile, adeoque frustra proferret formam volens consecrare, ut recte notat Gobat. tract. 3, num. 141; Suarez, Aversa, citati et secuti a La Croix, loc. cit., num. 2322, ubi subdit, quod ad tollendum omnem scrupulum, sufficit, quod neopresbyter conetur verba absolvere cum episcopo, et velit solum facere, quod ibi vult fieri Ecclesia, aut sicut meliori modo fieri potest, uti cum aliis monet etiam Gobat, loc. cit., tract. 8, n. 131. Quamvis tamen nullam (præter consuetudinem et præscriptum Pontificalis) exstare legem positivam obligantem sub gravi neomystras proferre illa verba consecrationis, seu tunc consecrare una simul cum episcopo, tradat cum aliis Gobat, loc. cit., n. 133, ipsumque etiam citet La Croix, loc. cit., n. 2522, recte concludens nihilominus esse standum consuetudini Ecclesiæ et præscripto Pontificalis.

(116. Ordinationes ministrorum Ecclesiæ cum magno delectu fieri jubentur. Benedict. XIV, constit. incip. *Ubi primum*.

(117. Ordinandi examinari debent in doctrina Christiana. Idem, constit. 42, incip. *Etsi minime*, § 10, et docere debent, se operam dedisse instruendis fidelibus in doctrina Christiana. *Ibidem*, § 6. (118. Ætas in Ecclesia occidentali requisita ad recipiendos ordines assignatur ab eodem Pontifice, constit. 120, tom. 1, incip. *Eo quamvis tempore*, § 19. *Vide verb. ÆTAS*. Pro recipiendis ordinibus quoad Græcos, eadem, quæ pro Latinis, requiritur. Idem, const. 56, tom. 1, incip. *Etsi*, § 7, num. 19.

(119. Hinc ordinatio infantis est illicita, sed valida, et ordinatus in infantili ætate non tenetur ad onera ordini sacro adnexa, nisi ordinationem ratam habuerit, sive expresse, sive tacite; nec ministrare potest in ordine suscepto ante complementum ætatis legitimæ. Idem, cit. constitut. *Eo quamvis tempore*, § 20, 21, 22, 23 et 26.

(120. Quare pro ordinatis apud Coptos ad diaconatum in infantili ætate, præscribitur exploratio voluntatis, quæ fiat ad normam concilii Toletani secundi post expletum annum decimum sextum. *Ibid.*, § 27, 28. Si quis sæcularia vota elegerit, suspensus erit ab exercitio ordinis sacri. *Ibid.*, § 22. Nec tenebitur ad recitationem horarum canonicarum. *Ibid.*, § 28. Et nuptias etiam iterato contrahere poterit. *Ibid.*, § 28 et 29. Eligentibus autem perseverare in ministerio Ecclesiæ prohibentur secundæ nuptiæ, et omnis bigamia, sub pœna depositionis. *Ibid.*, § 30, 31, 32.

(121. Ordinationes ad ordines majores in cathedrali, vel insigniori diocesis ecclesia haberi debent. Idem, constitut. incip. *Ad audientiam*, § 17, ex concil. Trident., sess. xxiii, cap. 8, *De ref.* Id tamen intelligendum est de ordinationibus generalibus. *Ibid.*, § 18. Ex mitiori tamen interpretatione apud omnes recepta, non prohibetur episcopus, quin, iusta aliqua suadente causa, possit

aliquos privatim in episcopii sacello majoribus ordinibus initiare. *Ibidem*. An autem, quod de capella episcopi, id ipsum dicendum sit hac in re de capella cardinalis episcopi suburbicarii in Urbis palatio sita? *Vide dict. verb. CARDINALES*, art. 3 a n. 30. (122. Ordinari a quo debeant subditi episcopis suburbicariis, et a quo exteri in Urbe commorantes? *Vide loc. cit.*, et verb. VICARIUS URBIS.

(123. Ordinari a pontifice possunt clerici de quacunque ecclesia, sive diocesi, non solum ut eorum opera utatur, sed etiam honoris causa. Idem, constitut. incip. *In postremo*, § 16. Ordinatus a Papa, etiam honoris causa, sine licentia Papæ non potest ab inferiori ad superiores ordines promoveri. *Ibidem*, § 3 et 7. Ordinatus a Papa non est propterea a jurisdictione sui episcopi exemptus. *Ibidem*, § 18.

(124. Episcopus potest ob crimen occultum, etiam extrajudicialiter cognitum clericis interdicare ascensum ad ordines superiores, et susceptorum ministerium, seu exercitium. *De synodo diac.*, l. vii, c. 71, n. 3, ad 5, ubi scite adducuntur con. Trid. sess. xiv, c. 1, *De reform.*, et decreta sacre congregationis ejusdem concilii interp. in *Aletriensi* die 24 Novemb. 1656; in *Capriitanen.* 19 Decemb. 1730, et in *Oritana* seu *Tarentina* 20 Aug. 1735, ut in *Thesaurio resolutionum*, tom. V et VII. (125. Et adeo verum est, posse episcopum, virtute prædicti decreti concilii Tridentini ex causa sibi nota clericum interdicare tam sacrorum exercitio, quam ascensu ad altiores ordines, ut neque teneatur « causam suspensionis, seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicæ, si suspensus ad eam recursum habuerit; » quod præcisè verbis respondit S. congreg. Conc. episcopo Vercellensi die 21 Mart. 1643, lib. xvii *Decret.*, p. 170 et seq. V. *Append.* in fine art. 4 h. rubr.

(126. Et universim loquendo, episcopum reuuentem alicui ordines conferre, nullo jure obstringi ad manifestandum causam cur eum repellat, neque ei, qui repulsus est, nullam competere appellationem, sed tantum permitti adire Sedem Apostolicam, eique suas querelas exponere, declaravit ead. sac. congregatio in *Remensi*, die 21 April. 1668. (127. *Ibidem*, n. 14, et n. 15 additur, quod si sic suspensus ab episcopo, nihilominus appellationem interponere, ejusque obtentu, in altari ministrare, seu quovis modo suum ordinem solemniter exercere præsumat, statim incidat in irregularitatem, uti, quidquid in contrarium senserint nonnulli doctores, expresse definiuit ead. sac. congreg. Concilii in *Sagonen.* 21 Junii 1626, lib. xxiv *Positionum*, p. 1, ibi: « Episcopus Sagonensis ex facultate sibi attributa decreto concil. cap. 1, sess. xiv, ex causis sibi notis suspendit parochum ab exercitio curæ; sed ille appellavit, et præcepto episcopi contempto, celebravit, et curam exercuit. Quæritur an a dicta suspensione detur appellatio, ita ut parochus, non obstante appellatione inter-

posita, per exercitium curæ effectus fuerit irregularis? S. congreg. Conc. censuit, ab hujusmodi suspensione non dari appellationem; et parochum, qui sacramenta, ut supra, ministravit, irregularitatem contraxisse. » Hæc Benedict. XIV, loc. cit., qui subjungit, « id tamen ab episcopo non debere in synodo statui, et declarari. » *Vide verb. SUSPENSIO*, artic. 1, per tot., et artic. 7.

(128. Beneficium, ad cuius titulum ordines conferuntur, debet tantum ex redditibus ferre, quantum sufficit ad clericum honestam sustentationem, juxta taxam ab episcopo definiendam, detractis tamen oneribus, non tamen missarum, saltem nisi aliter episcopus statuerit. Si vero clericus ordinetur in loco domicilii, et beneficium obtineat in alia diocesi, tunc si beneficium poseit perpetuam residentiam, sustentatio ista dirigenda est juxta taxam synodalem loci ubi est beneficium; secus vero statuendum est, si residentiam non exposcat, juxta ac statuit Innocentius XIII in sua constitut. incip. *Apostolici ministerii*. Hæc in *Synod. diac.*, lib. vii, cap. 72, § 2.

(129. Ordines sacri conferendi sunt primario titulo beneficii ecclesiastici; nec, nisi in subsidium, pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum conferri possunt ab episcopo ad titulum pensionis, vel patri-monii, ex Tridentino, sess. xxi, cap. 2, *De reform.* Nec nisi concurrat necessitas, vel commoditas Ecclesiæ, licitum id esse edixit sacra congregatio Concilii in encyclica die 13 Maii 1679 jussu Innocentii XI exarata. *Instit. eccl.* 26, § 1.

(130. Ad ordines conferendos censet Pontifex ex Con. Trid., sess. xxiii, *De reform.*, cap. 2., non esse positum in arbitrio episcopi, ut ordines minores det ignorantibus linguam latinam, si spem ostendant futuri profectus: nam concilium exigit, ut saltem linguam latinam intelligant; et arbitrium episcopi, de quo ibidem, cadit super interstitia, non super scientiam latinæ linguæ. *Instit. eccl.* 42, § 2.

(131. Quoniam vero ad sacros ordines requirit Tridentinum, *ibid.*, can. 14, scientiam requisitam ad docendum populos necessaria ad salutem, ac ad ministranda sacramenta; ideo subdiaconatu convenit, ut præcedat annus integer studii, sive theologiae moralis, sive scholasticæ, sive juris canonici. Biennium vero ad diaconum ordinandum: triennium ad sacerdotem. Nec impletur mens Tridentini, si quis in theologia morali tantum studuerit de contractibus, cambiis, etc. Concilium enim exigit, ut possit erudiri populus quoad necessaria ad salutem. *Ibid.*, § 3.

(132. Ordinum sacrorum interstitia dispensare etiam quoad regulares, non quidem ad eorum præsules, sed ad episcopum ordinantem spectat, ut ex responso sacre congregationis, *Instit. eccl.* 58, § 1. Quamquam ab episcopo deferendum sit iudicio superiorum regularium, ut ex aliis decretis sacre congregationis. *Ibidem*.

Præstat hic notare, id quod idem Bened. XIV. postea hac de re tradidit in *Synod. diac.*, in hæc sane verba: « Episcopus Midensis in sua synodali constitutione... expresse declaraverat, se nulli sive sæcularium, sive regularium ordines collaturum, qui non servasset temporum interstitia a concilio Tridentino præscripta; a quibus, an quemquam absolvendum Ecclesiæ necessitas, aut utilitas exposceret, id non a prælato regulari, sed a se fore iudicandum edixerat. » Hæc... constitutio innixa videbatur Tridentino, sess. xxiii, cap. 11 et 13 *De reformat.*, quibus in locis soli episcopo permittitur causam examinare, propter quam sit aliquis citius, quam jura requirant, ad alioquin ordinem promovendus. Fulciri insuper videbatur pluribus decisionibus sacre congregat. Concilii, quæ sæpius censuit, a sacra Tridentina synodo soli episcopo ordines collaturo, nequaquam autem prælato regulari litteras dimissoriales concedenti suo subdito regulari, facultatem fieri, hunc ex iusta causa ab Interstitiorum lege eximendi. Ita quippe ab eadem responsum comperimus in *Nullius* 31 Junii 1597, l. ix *Decretor.*, pag. 18, in *Aquen.* mense Julii 1589, lib. vi *Decretor.*, pag. 18; et in *N. N.* 12 Septembr. 1609, lib. xi *Decretor.*, pag. 65. Attamen, quia Sedes Apostolica post Tridentinum nonnullis regularium ordinum institutis privilegia concessit exemptionis ab interstitiis, idecirco sac. Congreg., die 24 Augusti 1686 rescripsit hanc constitutionem synodalem Midensem « esse reformandam quoad eos regulares, qui habent privilegium concessum post Tridentinum. » l. ix, c. 16, n. 6.

(133. Quoad clericum sæcularem episcopus dispensare potest, si agnoverit id postulare utilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ. Utilitas tunc resultat, cum pauci ministri suppetant; cum ordinandus sit provecioris ætatis, et simul etiam maxime provecus in studiis; seu tandem cum agitur de parœcia, seu alio beneficio exigente intra annum ordinem sacrum, ut ex DD. *Ibidem*.

(134. Cæterum, si quis obtinuerit, ad dispensationem interstitiorum indultum Sedis Apostolicæ, permessa est ista dispensatio arbitrio episcopi, ut Innocentius XII in sua resolutione, die 4 Decembris 1693. *Ibid.*

(135. Si quis obtinuerit privilegium a Sede Apostolica, ut ordinari possit extra tempora tribus diebus festis interpolatis cum dispensatione interstitiorum, non potest ordines recipere tribus diebus interpolatis quidem, sed festis tantummodo, quia celebratur in illis festum duplex, sed non festum de præcepto. (136. Licet enim in brevi dicatur *festis diebus*, attamen festum, stylo Sedis Apostolicæ, indicat diem festum de præcepto. Accedit decretum sacre congregationis Concilii, definiens dies festos accipiendos esse pro festis de præcepto. *Instit. eccl.* 106, § 6.

(137. Si clericus sacris initiandus, sit consuetudine aliqua peccandi astrictus, modo vero ita sincera exhibeat respiciendi argumenta, ut confessarius vere eum contritum judicare possit, nolit autem poenitens ille confessario suadenti ut differat susceptionem sacri ordinis acquiescere, firmusque statuat statim se solemniter voto obstringere; utrum in ea voluntate sic obfirmatus possit absolvi, quæstio est anceps, adeoque suadendum est illi, ut prudentem et doctum virum consulat, a quo remedia petat et consilium. *De synod. diæc.*, lib. xi, cap. 2, § 17, 18, nov. edit. \*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(138. Privilegium recipiendi ordines extra tempora illis duntaxat regularibus suffragatur, quibus post concilium Tridentinum nominatim, atque recta concessum fuerit in forma non communi sed specifica postmodum confirmatum. (139. Per communicationem igitur privilegium hoc haud acquiritur, ut ex constitutione S. M. Benedicti XIV incipiente *Impositi* probe monet clarissimus Giraldu, in *Addit. ad Mascat.*, lib. i, tit. *De tempor. ordinat.*, sub n. 15. (140. Quocirca locum amplius non habet, quod auctor, n. 11, innixus concilio Romano, tit. 5, cap. 2, ait, acquiri scilicet posse mox dictum privilegium per communicationem, tum suffragari ante concilium concessum.

(141. Recteque monet idem Pater Giraldu consentaneæ ad mox allegatam constitutionem S. M. Benedicti XIV privilegium hoc recipiendi ordines extra tempora regularibus concessum non arctare episcopos diocesanos ad eos extra tempora ordinandos, vel dimittendos ad ordinationem alibi suscipiendam.

(142. Vide et alia pertinentia ad ordinationem regularium in eadem constit. Benedicti XIV, etc. (143. Illud vero hic non est prætereundum; male auctorem n. 105 et plur. seq., generaliter asserere, non esse detrahenda onera missarum a beneficio, ad cuius titulum quis ordinatur. (144. Fuit enim olim hæc gravissima quæstio, in qua non una erat doctorum sententia. Tenebant nonnulli detrahi debere onera missarum, si possit beneficiarius ea, vel per se, vel per alium implere, nequaquam vero, si per se ipsum illis satisfacere teneatur. Contra vero alii sustinebant, onera missarum neutro in casu esse detrahenda.

(144. « In hac opinionum varietate (ut refert S. M. Benedictus XIV, *De synod. diæc.*, lib. xi, cap. 9, n. 7 et seq.) satius duxerunt aliquot episcopi sacra congregationis Concilii sententiam efflagitare, et Nos, qui eidem eramus a secretis, ut patres unico intuitu omnia inspicerent, quæ ad materiam pertinerent, etc., diligentem examinauimus dissertationem, etc., ubi cujuslibet ex diversis, quas retulimus auctorum sententiis præcipua expendimus rationum momenta. Actum fuit de hac quæstione die 8 Augusti 1722, iterumque die 24 Aprilis 1723; ac tandem die 17 Julii ejusdem anni deci-

sum, rem esse relinquendam conscientie et arbitrio ordinariorum, qui, spectatis locorum et personarum conditionibus, vel in particularibus eventibus statuunt, vel etiam in synodo per modum legis decernant, an onera missarum sint, aut non sint detrahenda e rebus beneficii, e quibus ordinandus suam honestam sustentationem est percipiturus.

(145. « Quomobrem (rectissime concludit mox laudatus summus Pontifex ubi supra) absque periculo obviandi juri communi, et sacro concilio Tridentino, tuto poterit episcopus in sua synodo non solum præfinire quantitatem proventuum, qui censeantur sufficientes ad alimoniam subministrandam clerico suam incolenti diocesim, sed etiam statuere, et determinare, num inter ejusmodi proventus sit numeranda, an potius detrahenda stipes respondens numero missarum, ad quas celebrandas clericus, sive per se, sive per alium adigitur lege sibi indicta a fundatore beneficii, quod possidet. » Confer eundem summum Pontificem, *Institut. eccl.* 26, n. 6.

RESPONSIO AUCTORIS.

Circa privilegia recipiendi ordines extra tempora, etc., plura hic adduntur, quæ jam fuerant a me allata et tradita in *Supplementis* ad verb. *Ordo*, ubi inter alia datur summarium dict. constit. Benedicti XIV incip. *Impositi*.

An autem quod subjungitur n. 142, nempe, « male auctorem n. 105 et plur. seq. generaliter asserere, non esse detrahenda onera missarum a beneficio, ad cuius titulum quis ordinatur; poterit urbane dici, iudicet prudens lector. » Non enim male asseritur, quod ego auctor tradidi à cit. n. 105 ad 110 tot suffultis solidis fundamentis, una cum celeberrimis doctoribus, et signanter Card. de Luca, Lamperez, Ludovico Nogueir, Morin. Monacello et Ursaya, clarissimo Romano advocatione, maxime, si, ut fert conclusio, ordinandus, donec ascendat ad sacerdotium, pro rata missarum aliunde habeat, unde vivere possit. Et rec. memor. Benedictus XIV, *De synodo diæcesana*, l. xii, c. 9, relinquit arbitrio et conscientie episcopi id decernere, afferens ad id, inter alia, decretum sacr. congr. Conc. 17 Jul. 1723 jam allatum ad litteram a me, *loc. cit.*, n. 105. Videatur etiam doctissimus Ubaldu Giraldu unus ex dignissimis revisoribus, *Instit. canonic.*, part. i, § 18, ubi sic expresse tradit: « Post publicationem constit. *Speculatores* usque a die 14 April. 1696, vivente adhuc ipso Innocent. XII legislatore, pluries exorta est controversia: an ab eadem constit. aliquid innovatum fuerit circa detractionem onerum missarum beneficio, ad cuius titulum quis ordinatur, adnexorum, ad effectum constituendi summam taxæ in synodo præfinitæ; sive beneficiatus teneatur eas celebrare per se ipsum, sive per alium. » Libratisque in congreg. Conc. rationum momentis hinc inde militantium, respondit, id in utroque casu relin-

quendum esse arbitrio ordinariorum, ut videre est in *Thesaur. resolutionum* ejusdem congr. sub die 8 Augusti 1722, et 17 Julii 1723; cui responso adhæret etiam Bened. XIV, lib. xii *De synod. diæces.*, cap. 9, n. 6 et 7. Sic ille ad litteram.

(146. De eo etiam hic necessario agendum, an ubi quis ordinatur ad titulum beneficii in aliena diocesi obtenti, *sufficiencia* præfinienda sit ad normam taxæ synodalis vigentis in diocesi domicilii, an in diocesi in qua beneficium est situm? Hæc autem recepta est distinctio, ut si beneficium continuam et perpetuam exposcat residentiam, *sufficiencia* desumi debeat a taxa synodali præfinita in diocesi, in qua beneficiarius possidet beneficium; sin autem beneficium oneri hujus continuæ et perpetuæ residentie non sit obnoxium, desumenda *sufficiencia* sit a taxa synodali præfinita in loco, ubi beneficiarius habet domicilium, ut respondit sacra congregatio Concilii interpres in *Alatrina* 9 Julii 1702; in *Arimin. Ordinationis* 10 Jan. 1708; in *Romana* seu *S. Agathe Gothorum* 20 Maii 1715, et statuit Innocentius XII in constitutione incipiente *Apostolici ministerii*. Confer et Bened. XIV, *De synod. diæc.*, d. lib. xii, cap. 9, n. 6.

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt facultatem prælatorum ordinandi suos, vel alienos subditos, et concedendi litteras dimissorias.

SUMMARIUM.

1. Suos subditos possunt ordinare episcopi quoad omnes ordines. — 2. Abbates possunt de jure conferre ordines minoribus suis subditis, licet non sint benedicti. — 3. Abbates, et alii quicumque intra fines alicujus diocesis existentes, etiamsi nullius diocesis, vel exempti esse dicantur, non possunt hodie cuiquam, qui regularis subditus non sit, tonsuram, et minores ordines conferre. — 4. Nec etiamsi alii regulares non subditi, et clerici sæculares afferant dimissorias suorum respective superiorum. — 5. Imo talis ordinatio abbatum conferentium ordines minoribus sibi non subditis, licet cum dimissoriis sui superioris, esset irrita et invalida. — 6. Abbates regulares non possunt promovere ad ordines minores neque suos novitios. — 7. Novitii respectu minorum ordinum ordinandi sunt a proprio episcopo. — 8. Episcopus autem proprius est episcopus loci monasterii, in quo novitii agunt novitiatum. — 9. Cardinales presbyteri, etiamsi episcopi non sint, possunt in suis titulis conferre primam tonsuram et ordines minores suis subditis et familiaribus. — 10. Subditus episcopi, quoad ordines licite ab ipso recipiendos, potest quis fieri quatuor modis, scilicet ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficii, et ratione triennalis familiaritatis, seu commensalitatatis cum episcopo. — 11. Quoad quatuor dictos modos, quibus potest quis fieri subditus episcopi quoad ordines licite ab ipso recipiendos adest novissima constitutio Innocentii XII, quæ hic ad litteram datur. — 12. Ut quis ordinari possit ab alieno episcopo ratione beneficii in ejus diocesi obtenti, requiritur, quod beneficium sit ibi revera obtentum, et pacifice ab ordinando possessum. — 13. Item requiritur, quod tale beneficium, detractis oneribus, per se sufficiat ad congruam clericis sustentationem, adeo ut non possit defectus fructuum ejus suppleri per adjunctionem patrimonii. — 14. Item requiritur quod

ordinandus ante ordinationem obtineat testimoniales litteras proprii episcopi, tam originis quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus et vita; et eas exhibeat episcopo ordinanti in actis illius curiæ servandas. — 15. Insuper requiritur quod episcopus sic ordinans, tam de prædictis testimonialibus litteris quam de rebus beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem faciat. — 16. Ut quis fiat subditus episcopi, et ab ipso ordinari possit ratione originis, requiritur, ut naturaliter ortus sit in ea diocesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex aliquo accidenti. — 17. Si quis autem tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti natus est moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab ordinario illius loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere debet. — 18. Si vero pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tandiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium de jure per patrem legitime contractum pro ordinatione ejusdem filii attendi debet. — 19. Origo matris quoad receptionem ordinum non attenditur. — 20. Si autem filius sit illegitimus, debet attendi origo matris et non patris. — 21. Expositus tamen, cujus parentes ignorantur, potest ordinari in diocesi in qua, ut supra, naturaliter ortus est; vel si de hoc constare nequeat, potest ordinari in diocesi loci ubi expositus est. — 22. Ut quis fiat subditus episcopi, et ab ipso ordinari possit ratione domicilii, requiritur, quod illud adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. — 23. Verum enim domicilium, non nuda voluntate et assertionem, sed animo et facto, simul constituitur. — 24. Unde domicilium contrahitur animo permanendi videlicet perpetuo in tali loco; alioquin enim non contrahitur domicilium. — 25. Hinc, si quis inhabitet locum animo inde recedendi, non contrahet ibi domicilium, quamvis mille annis ibidem habitet. — 26. Exacto tamen alicubi decennio, si de opposito non constet, præsumptione juris censeatur ibidem contractum domicilium. — 27. Sufficit autem animus perpetuo manendi in tali loco perpetuitate saltem propositi, licet hujusmodi propositum, sicuti et domicilium mutari ob supervenientem causam possit. — 28. Si quis a propriae originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debet. — 29. Ut quis fiat subditus episcopi, et ab ipso ordinari possit ratione familiaritatis seu commensalitatatis, requiritur, quod sit vere familiaris et commensalis episcopi. — 30. Item requiritur quod ipsum secum retinuerit per integrum et completum triennium. — 31. Item requiritur, quod is ante receptionem ordinum obtineat testimoniales litteras proprii, originis scilicet, aut domicilii, episcopi. — 32. Item requiritur quod episcopus ordinans suum familiarem statim, id est saltem intra terminum unius mensis a die ordinationis, quacunque fraude cessante, reipsa conferat illi beneficium sufficientem ad ejus congruam sustentationem. — 33. Tali facultate ordinandi suos triennales familiares non gaudent episcopi titulares, adeoque nequeunt ipsos ordinare absque sui proprii episcopi expresso consensu et dimissoriis. — 34. Imo ordinati ab episcopo titulari sine expresso consensu proprii episcopi ipso jure suspensi sunt, donec suo proprio episcopo visum fuerit. — 35. Et ipse episcopus titularis sic ordinans est suspensus per annum ab usu Pontificalium. — 36. Litteras dimissorias pro ordinibus ab alieno episcopo recipiendis ultra Romanum